CONSTITVTIONES SYNODI,

Quam Illustrissimus, ac Reuerendissimus D. IO. BAPTISTA SALVAGVS, Lunen. Sarzan. Episcopus, & Comes

Tertiam habuit Anno DOMINI MDCXVI.



LVCÆ, Apud Octauianum Guidobonum, Et Balthasarem de Iudicibus. 1618.
SVPERIORVM PERMISSV.

IO. BAPTISTA SALVAGVS,

Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Lun. Sarzan. Episcopus, & Comes.

Vniuerso Lunen. Sarzanen. Diœces. Clero, salutem in Domino.

TAndem fauente Deo, quod nos multo ante tempore cupiebamus, consequi verò, vt citius eueniret, quàm factum est, quâ publicis negotijs præpediti, quâ valetudine aduersa detenti nequiuimus, tertiam Synodum nostram conuocare, ac dilectum Clerum non sine nostrorum oculorum, atq; adeo animi solatio præsentem intueri, & congregatum alloqui licuit. Longè siquidem, diuq; vt nostis, legationum causa ex Sanctissimi D. Nostri mandato abfuimus; Residentes verò frequentibus expediendarum rerum negotijs, quæ ad Episcopalem curam spectant, fuimus impediti; ac sæpe sæpius pedum, manuúmq; cruciati doloribus iacere coacti sumus; præter alia, quæ ex corporis infirmitate nobis acciderunt aduersa. Vnde mi-

rum nemini esse debet, quòd nos tot annis huic defuerimus conuocandæ Synodi officio. Cui iam satisfacere conati sumus, vbi, & quando potuimus. Ita & vos pro viribus curetis oportet, dilectissimi Consacerdotes, & Clerici omnes, vt muneri vestro satisfaciatis; Decreta hæc, quæ à vobis comprobata in Synodo, nos typis mandari iussimus, non lectione solùm percurrentes, sed multo firmiùs, quàm sint folijs impressa, vestris imprimentes animis, & ipsa, quod summum est, necnon alia, siue à nobis, siue à Prædecessoribus nostris præscripta, factis exprimentes, ac operibus. Hunc ideo Synodalium Decretorum Codicem primę nostræ, ac secundæ Synodi Decretis additum accipite; & quæ Decretis ipsis præcipiuntur, perlegite, intelligite, facite; quò vos, vestroq; exemplo alios, si minus in ætatis alterius aureæ statum, at in meliorem, quàm qui nunc est, reuocetis. Et benè in Domino valete.

In Nomine Sanctæ, & Indiuiduæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

IOAN. BAPTISTA SALVAGVS, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Lun. Sarzan. & Comes.

De festorum dierum cultu. Cap. I.

EA iam inoleuit in hac nostra Diœcesi corruptela, vt Deo dicati, consecratiq; dies, & ad pias res peragendas, Diuinaq; officia celebranda destinati, sanctè, vt par est, non solùm non colantur, sed, quod grauissimum est, nosq; dolenter referimus, nefariè violentur; operibus scilicet seruilibus, profanisq; actionibus à dierum huiusmodi cultu longè alienis. Nos ideo in hac maxima offensione certam cupientes inire rationem, qua festi dies omnino à fidelibus obseruentur, nostra, nostriq; Prædecessoris Decreta Synodalia de festorum dierum cultu sanctione hac renouamus, & obseruari mandamus. Atque, vt improborum cohibeamus audaciam, pœnam hucusque præscriptam contrafacientibus ad aureos duos augemus, à quocumque seruile aliquod opus, vel aliud quid-

quidpiam prohibitum ratione festi, sacris ijs diebus, qui Sanctæ Matris Ecclesiæ instituto, aut loci consuetudine, votoue publico coluntur, exercente persoluendos: Quorum tertiam partem accusatori applicamus; reliquarum verò partium duarum alteram Ecclesiæ Parochiali illius loci, vbi contrauentum fuerit, & alteram Iudici, qui totam exegerit multam.

Principes autem omnes, eorumq. Iusdicentes iam iterum, vt aliàs, etiam atque etiam hortamur, & obsecramus, vt, vbi occasio tulerit, in sua quisque ditione nobis, Vicarijsq. nostris foraneis, Ecclesiarũ Rectoribus, alijsq. nostro nomine, quotiescumque pro huius Constitutionis obseruatione fuerint requisiti, suo auxilio, sua auctoritate, sæcularique brachio, fauere ne grauentur.

Licentiæ dictis diebus opera seruilia exercendi non nisi à nobis, seu Vicario nostro generali, aut Ecclesiarum Parochialium Rectoribus in eorum respectiuè Paræcijs, nec nisi ex causa meræ necessitatis, concedantur. Aliter autem obtentæ non suffragentur.

Insuper, vt scandalis occurramus, quæ ex Choreis oriri solent, prout sæpe plerisq; in locis nostræ Diæcesis orta sunt, & peccatorum, quas ipsæ præbent, multorum occasiones, quoad possumus, amoueamus, Constitutione hac nostra choreas, & saltationes diebus festis incidentibus feria sexta, qua Passionis Domini, ac Redemptoris nostri Iesu Christi memoria recolitur, omnino, & qualibet diei parte, ac hora interdictas volumus; alijs verò festis diebus, ea præsertim hora, qua sacra fiunt, ac Diuina celebrantur officia; præcipientes, & inhibendo expressè mandantes,

dantes, ne vllo modo contra hanc nostram Constitutionẽ publicè, aut priuatim ducantur, aut exerceantur, sub pœna tam choreas plaudentibus, siue ducentibus, quàm astantibus, & instrumenta Musica pulsantibus, peccati mortalis; cuius absolutionem nobis tantummodo reseruamus.

De Sacramento extremæ Vntionis.

Cap. II.

Compertum est aliquibus in locis nostræ Diæcesis, dum extremæ vnctionis est conferendum Sacramentum ægrotis, oleum ad hoc ab Episcopo consecratum, deferri à Sacerdote, non, vt decet, superpelliceum, sed communes tantum, vel breuiores vestes induto: Ita, vt vel idem Sacerdos superpelliceum cum stola superpelliceo ipsi circumuoluta sub alterutro perferat brachio; vel sibi per clericum aliquem eodem modo perferri curet. Quod animaduertimus fieri, si non cum spiritualis huius ministerij dedecore, at certè non sine piorum, qui vident, hominum scandalo. Quare præcipimus, vt Sacerdotes posthac Sacramentum extremæ vnctionis collaturi superpelliceum, ac stolam induant; atque ita infirmorum oleum deferant; neque aliàs ad id muneris ab Ecclesia egrediantur; nisi fortè extra loca ipsa ad remotas villas, longinquasue domos sint progressuri.

De Residentia Cap. III.

EOrum, qui in Diœcesi nostra Ecclesiastica Beneficia personalem residentiam, quod curata illa sint, siue aliàs requirentia obtinent, ita sunt quidam contumaces, vt neque antiquorum Canonum sanctionibus, neque Trid. Conc. Decretis, neque demum sæpius promulgatis à nobis Edictis ad residendum apud suas Ecclesias potuerint adduci: Alij verò, ex animarum præsertim Curatoribus, facultate concessa primæ Synodi nostræ Constitutionibus, vt, sicui fuerit necessaria causa, possit, inconsulto etiam Episcopo, intra tamen limites Diœcesis, ad dies octo abesse, sic abutuntur, vt ad quindecim dies, & mensem interdum, eoq; etiam amplius, ne dum intra Diœcesis limites, sed extra etiam, nulla à nobis obtenta licentia, abesse præsumant, & Christi ouium curam, animarum scilicet sibi commissarum, ouili derelicto, negligant. Quò igitur nos extremo huic malo extremum adhibeamus remedium, sanctione hac edicimus, vt quicunque in ciuitate Sarzanæ, nostraq; Lunen. Sarzanen. Diœcesi Beneficia Curata, vel sine cura personalem residentiam de iure, vel consuetudine requirentia obtinent, si in Diœcesi illi sint, infra mensem vnum, si verò extra Diœcesim, infra duos post hanc Synodum incipiendos, quos ipsis pro primo, secundo, ac tertio, eoq; vltimo, & peremptorio termino, necnon pro trina, & canonica monicione

nitione assignamus, ad sua Beneficia se contulisse debeant, ibiq; in posterum assiduè resideant; nec, nisi à nobis scripto obtenta licentia recedant: Alioquin contumaces, dicto termino elapso, sint à diuinis ipso iure suspensi: Alijs pœnis, quæ & Sacrorum Canonum, Sacriq; Trid. Conc. Decretis, necnon Pij Quarti Pontificis maximi, ac Synodalibus nostris, prædecessorisq; nostri, Constitutionibus contra contumaces præscriptæ sunt, in suo robore permanentibus.

Quibus tamen ex necessaria causa fuerit opus, permittimus, vt, etiam nobis inconsultis dies octo intra limites Diœcesis abesse possint modò ne sint octo ipsi dies toties, ac tam frequenter repetiti, vt Sacri Trid. Conc. dispositioni, qua Parochis, cæterisq; residentiæ obnoxijs præfixum est absentiæ tempus, & causa, fraus fiat, & interim Ecclesia debitis defraudetur obsequijs.

De Vita, & honestate Clericorum. Cap. IIII.

Etsi alijs Synodalibus nostris Constitutionibus decreuimus, clericum nullum, nisi quadrangulare, seu clericale pileum sit indutus, admittendum esse in Chorum, in multis tamen id Ecclesijs negligitur, & quod magis dedecet, relatum nobis fuit pluribus in locis clericos reperiri, qui decem ab hinc annis iam sacris ordinibus initiati, nihil dum habent, neque clericale pileum, neque superpellicceum;

& ad altare aperto capite non sine astantium scandalo celebraturi accedunt. Quare ne in posterum decretum ita honestati congruum sit contemptui, mandamus omnibus, & singulis nostræ Diœcesis Sacerdotibus, externis etiam in ea domicilium habentibus, & alicui Ecclesiæ, vel pio loco in diuinis inseruientibus, vt de quadrangulari pileo intra mensem, de superpelliceo verò intra sex menses omnino sibi prouideant, sub pœna suspensionis. Rectores verò in suis Ecclesijs à celebrandis Missis illos, à funeralibus item, à Defunctorum officijs, & à processionibus prohibeant, saltem in Parœcia, in qua degunt, aut inseruiunt: Nec vllum ad primam missam celebrandam admittant, quin prius docuerit clericalem se pileum, ac superpelliceum habere, quæ sua sint ipsius, non autem sibi aliunde commodata.

Clerici omnes sacris ordinibus initiati, vel alias Beneficia possidentes in omni tam interiori, quàm exteriori vestitu, colore nigro vtantur. Permittimus tamen, quod attinet ad vestes inferiores, quæ integræ non autem intercisæ esse debent, vt vulgo dicitur, trinciate, *colorem violaceum, subobscurum tamen; fuluum item subobscurum,* tanè *italicè nuncupatum; mixtum, valde tamen obscurum; cinericium ad nigrum tendentem; & in caligis, si ex pellibus illæ sint, præter iam dictos, colorem etiam album; necnon illum, qui paleæ colorem refert. Haud autem permittimus vllo modo vestes varijs distinctas coloribus, siue, vt appellant, listatas.*

Iidem præterea clerici, siue Sacrorum Ordinum, siue aliàs Beneficiati, superiores vestes talares induant; qui præ-

ſertim in ciuitate Sarzanæ degunt, & locis inſignibus, veluti Pontremuli, Maſſæ, Spediæ, Fiuizani, Leuanti, Erycis, & Camporegiani; niſi illis ſit iter faciendum; quo caſu vſum veſtis, & habitus breuioris, decentis tamen coloris, permittimus.

Qui contra hæc, quæ de clericorum habitu ſtatuta ſunt, facere præſumpſerit, quinque aureorum pœna multetur.

Clerici primæ tonſuræ, & quatuor minorum ordinum, qui clericalem habitum, & tonſuram non deferent, nec inſeruient Eccleſiæ, cuius ſeruitio fuerint adſcripti, ſciant ſe iuxta Sacri Trid. Conc. præſcriptum, tanquam militiæ Clericalis prærogatiua indignos, fori Eccleſiaſtici priuilegio non gauiſuros.

Maximum Clericorum vitæ, quæ omnino honeſta, ac Religioſa ſit oportet, impedimentum, atque adeò dedecus, vt quod res eſt, apertiùs dicatur, afferre ſolent ſæcularia negotia: Quare nos omnibus noſtræ Diœceſis Sacerdotibus, & aliorum ordinum Clericis, cuiuſcumq; ſint dignitatis, mandamus, ne ſe ſe immiſceant Sæcularium negotijs. Mandamus item ſub graui pœna arbitrio noſtro, ne vnquam in laicali iudicio agant abſque legitima ſibi conceſſa facultate: Pro ſumma tamen ſcutatorum tantummodo ſex, ſiue occaſione pecuniæ ſibi debitæ, ſiue alius rei valoris eiuſdem, abſque licentia vlla contra laicos agere valeant.

De Clericorum patrimonio. Cap. V.

IN prima nostra Diœcesana Synodo declarauimus patrimonium Clericis ad sacros ordines promouendis assignandum ascendere debere ad quingentorum saltem aureorum summam; Et illud postea iustis suadentibus rationibus ita augere per publicũ Edictũ voluimus, vt quilibet Clericus in redditibus annuis ex bonis sibi pro patrimonio assignatis aureos quinquaginta, deductis expensis, percipiat. Iam verò cõmuni nostræ Diœcesis reclamante paupertate edictũ à nobis propositũ sic moderamur, vt qui post hac fuerit ad sacrum Subdiaconatus ordinem promouendus, præter cetera requisita prioribus nostris Constitutionibus præscripta, publicis prius notariorum instrumentis, vel alijs legitimis probationibus docere debeant se tot censũs, aut bona Ecclesiastica, vel alterius generis, liberè, & pacificè possidere, vt ex ipsorum redditibus, & prouentibus, quotannis aurei quadraginta percipiantur. Statuentes, vt dum ab aliquo patrimonium assignari contigerit, tam assignans, quàm ille, cui assignatur, iurare debeant in manibus notarij, qui de huiusmodi assignationis instrumento rogatus fuerit, id patrimonium non fictè, sed verè possideri, & obtineri; nullumq; adesse dolum, vel fraudem, vnde aliquid obstet, vel obstare possit, quominus Clericus, qui Sacro Subdiaconatus ordine est initiandus verè, & re ipsa fruatur.

Publicæ autem denunciationes in Ecclesia secundum formam dictis nostris constitutionibus traditam faciendæ nullo modo omittantur.

De cauendis occasione ordinum, ac Beneficiorum, litteris commendaticijs. Cap. VI.

LItteras commendaticias ad nos, seu examinatores nostros datas occasione examinis tam ad ordines, quàm ad Beneficia Curata, & pro ipsorum Beneficiorum collatione à quocumque directè, vel indirectè obtentas, præterquam, si de Curatis Beneficijs agatur, à temporalibus Dominis locorum, vbi ea sita sunt, sicuti iam primæ Synodi nostræ Decretis prohibuimus, ita modo etiam prohibitas volumus infrascriptas pœnas addentes.

Qui commendaticias litteras ad Beneficia, à quocumque illæ sint impetratæ, loci Domino excepto, detulerit, ad ipsum Beneficium consequendum perpetuò, & ad alia in hac nostra Diœcesi ad decenniū sit ipso iure inhabilis.

Qui verò ordinum occasione commendaticias litteras detulerit, tamquam indignus ab examine arceatur, nec ad illud per biennium admittatur.

Examinatores autem, quibus redditæ fuerint litteræ commendaticiæ, nisi eas coram nobis infra triduum re ipsa, & cum effectu præsentauerint, sint ipso facto à diuinis suspensi.

Omnes autem tam ad nos datæ, quàm ad examinatores

nostros,

nostros, commendaticiæ litteræ, erunt in Cancellaria præsentandæ nostro Cancellario; à quo, sub pœna priuationis officij; debebunt in peculiarem ad hoc confectum codicem, siue, vt vocant, registrum referri, seu registrari vnà cum nominibus illorum, qui ipsas attulerint. A quocumque autem fuerint allatæ, præsumptio erit contra illos, qui commendati fuerint; quod nimirum illas dari curauerint: Et perindè erit, ac si ab ijsdem redditæ fuissent. Occasione postea redeunte concursus debeat Cancellarius inhabilium nomina præsentare.

De habitatione ædium Canonicalium. Cap. VII.

MAgistra rerum nos experientia docuit quanto sint Ecclesijs suis damno, ac detrimento Parochi, qui Canonicales ædes habitare negligunt; vt ab ijs plerumque fieri solet, qui in ipso suæ Parœciæ loco, vel alio proximo paternum domicilium habent; ex quo alterum de duobus sequitur, vt scilicet vel canonicales ædes dilabantur, vel cursu temporis à laicis sacrilegè occupentur. Quapropter Ecclesiarum vtilitati consulere, atque huic rei, vnde tantum detrimenti ipsis Ecclesijs accidere solet, quoad possumus, occurrere cupientes, sancimus, vt in posterum singuli Ecclesiarum Parochialium Curatores in ædibus canonicalibus, si adsint, habitent, ibiq; cibum, & somnum capiant; nisi aliud ex causa necessaria censueri-

fuerimus. Vbi verò nondum fuerint constructæ, quam primùm construi, vel, si quid reparandum sit ad habitationis commoditatem, reparari curent, prout fuerit à nobis, vel à Visitatoribus nostris in visitatione præscriptum. Si quis autem, postquam fuerit domus canonicalis iudicio nostro habitabilis reddita, præsens decretum obseruare neglexerit: quotiescumque ad nos, vel Vicarium nostrum generalem fuerit delatus, pœna aureorum decem mulctetur, & habeatur pro non residente.

Ceterùm Canonicales ædes, vel earum partes, in quibus Parochi solent, aut debent habitare, laicis locari prohibemus, nisi Ecclesia prematur inopia, & commodè possit iudicio nostro, vel nostrorùm pro tempore Visitatorum in ædibus ipsis domicilium diuidi.

Iis tamen, quorum fides, vita, moresue fuerint suspecti, nulla fiat locatio. Contrafacientes autem arbitrio nostro plectantur.

Vbi de Ecclesia in Canonicalem domum aperitur ingressus, cum ex eo quasi seruitus quædam indecenter imposita videatur, & hinc laicis, præsertim verò mulieribus, ad scandala multa pateat aditus, præcipimus muro claudi ostium; idque volumus intra menses quatuor executioni mandari à Parochis, sub pœna suspensionis à Diuinis.

De Ecclesijs, & Cœmeterijs. Cap. VIII.

QVò ratio sacrorum locorum semper, quoad fieri potest, habeatur, præter ea, quæ à nobis alias, & à Prædecessoribus nostris sancita sunt; mandamus Parochis, & Ecclesiarum quarumcumque Rectoribus, ac inhibendo præcipimus, ne ullo modo defunctorum cadauera permittant ab anatomiæ professoribus, vllisue alijs, in Ecclesijs, aut Cœmeterijs incidi, nec à Iudicibus, vel notarijs maleficiorum inspici absque facultate à nobis, vel Vicario nostro generali ipsis concessa, quæ Parochis, vel Ecclesiarũ respectiuè ipsarum Rectoribus erit ostendenda.

Nullus apud Ecclesias ludis vllius generis det operam ad brachia decem sub excommunicationis pœna.

Nullus item ad Ecclesiarum fores, aut super ipsarum gradibus, siue scalis, linum, vestes, lintea, triticum, aut alia huiusmodi profana extendat sub pœna amissionis ipsarum rerum; quæ Ecclesijs ipsis quæsita intelligantur.

Altaria nec in Ecclesijs, nec in Oratorijs noua construantur nobis inscijs, & absque facultate à nobis, vel à Vicario nostro generali concessa.

Cum verò, concessa facultate, constructum fuerit altare aliquod, nullus Secularis, aut Regularis Sacerdos ad illud celebret, nisi fuerit prius à facultatem habente visitatum, omnibusque requisitis munitum, & ornatum repertum, sub pœna suspensionis à Diuinis.

De Di-

De Diuinis officijs; deq; Ecclesiæ ritibus seruandis. Cap. VIIII.

IN Cathedrali Ecclesia nostra, quæ reliquis huius Diœcesis Ecclesijs exemplum præstare debet in ijs omnibus, quæ ad Diuinum cultum pertinent, plerumq; accidit, vt soli Canonici sine vllo ex Capellanis diuina celebrent officia, & soli etiam processiones aliquando ducant: Nos ideo præcipimus, vt Capellani quicumque, qui ex Beneficiorum fundatione, vel consuetudine in Chorum conuenire debent, festis saltem diebus ad Diuina officia, & ad Maiorem Missam conueniant, ac processionibus intersint; ij præsertim, qui funerum occasione aliquid emolumenti percipiunt, Qui autem neglexerint, pœnas sciant se daturos arbitrio nostro.

Post horas Canonicas, Vesperas præsertim, & Completorium nullus è Choro discedat, nisi recitatis Pater noster, & ceteris, & dato signo per Hebdomadarium, siue per alium in Choro maiorem: Id quod non in Cathedrali solùm, obseruandum mandamus, sed in alijs etiam nostræ Diœcesis Ecclesijs, vbi diuina celebrantur officia.

Vt in Benedictionibus, quæ à Sacerdotibus fiunt, & in Processionibus, in funeribus item, & exequijs, & quod pluris nos facimus, in Sacramentorum administratione approbatæ adhibeantur orationes, & cærimoniæ, certiq; in tota Diœcesi ritus seruentur, ac ne ex diuer-

so in prædictis agendi modo, variaq; orandi forma populi aliquam capiant admirationem, vel fortè etiam scandalum, præcipimus, vt Parochi omnes infra sex menses habeant, quo vtantur, Rituale Romanum Pauli V. iussu editum, sub pœnis, & censuris, arbitrio nostro imponendis.

Nullus posthac Sacerdos siue Sæcularis, siue Regularis, sub quouis prætextu in Ecclesijs, aut Oratorijs, vel Capellis existentibus intra limites alicuius Parœciæ nostræ Diœcesis, diebus festis de præcepto celebrare Missam audeat ante Missam Parochialem absque Parochi licentia sub pœna suspensionis à diuinis latæ sententiæ.

Nec ad exequias, funera, aliaue tam pro defunctis, quam pro viuis officia, nec ad processiones in Ecclesijs præsertim locorum insignium à Parocho Sacerdotes admittantur, aut Clerici, nisi superpelliceum, & clericale pileum induti; neque eis aliàs vlla eleemosynæ portio, aut emolumentum vllum detur; sub pœna, quod attinet ad Parochum admittentem, arbitrio nostro, quod verò ad eum, qui contra hoc decretum eleemosynam receperit, suspensionis à diuinis.

Galerum tamen permittimus in processionibus ad caput à sole, siue pluuia tuendum, si id res tulerit, aut si iter longius sit faciendum.

De Missæ.

De Missæ sacrificio, & Eucharistiæ Sacramento. Cap. X.

Sacerdos sacrum facturus non solùm sacerdotales indutus esse debet peculiares vestes, quæ singulæ suas, easq; sacras significationes & ad humanos componendos mores, & ad Paßionem Christi Domini referendam spectantes habent; amictum scilicet; albam; cingulum; manipulum; orarium; siue stolam; & casulam, siue, vt vocant, planetam, sed etiam vsuales, & communes, quæ propter maiorem honestatem, & decorum exiguntur. Nos ideo præcipimus, vt Sacerdos Sæcularis quicunque Missæ sacrificium celebret decenter vestitus, ita, vt superior vestis iuxta Missalis ritum talum pedis attingat; neque ad hoc vllus nudis cruribus accedat, etiamsi pedibus, quod etiam Regulares quoscunque celebrantes decet, sit calceatus, sub pœna graui arbitrio nostro.

Pileolo, siue capitio ad tegendum caput nullus inter celebrandum vtatur absque obtenta facultate sub pœna arbitrio nostro.

Qui annulo, tamquam Doctoratus, vel alicuius dignitatis signo, vtuntur, meminerint, dum sacrum faciunt, illum deponere. Iis verò, qui nec Doctores sunt, nec in dignitate vlla constituti, annuli vsum, leuitatis scilicet vtentium, non dignitatis, signum, qui iam vsus non inter Sacerdotes solùm, sed apud minorum etiam ordinum

Clericos non sine laicorum scandalo inoleuit, vbique interdictum esse volumus sub arbitrij nostri pœna.

Sacerdotes aliqui, etiam in oppidis, locisq; insignibus vtuntur breuioribus vestibus, quas Italicè palandranas vocant; illasq; induti admodum indecenter ad tantum sacrificium accedere audent: Quare nos huiusmodi vestiũ vsum non solum in Missæ Sacrificio, sed in Choro etiam & in processionibus omnino interdicimus, sub graui pœna arbitrio nostro.

Candelæ ex cera confectæ dum sacrum fit, ac dum officia diuina celebrantur, in altari ardeant: Haud autem illarum loco sufficiantur candelæ sebaceæ, nec oleum in lucernis, aut lampadibus. Qui contra hanc nostram Constitutionem deliquerit, pœnas dabit arbitrio nostro.

Dum in Missa legitur, aut decantatur Passio Domini, siue Palmarum Dominica die, siue feria tertia, aut quarta maioris hebdomadæ, lumina nec in altari extinguantur, nec inde ablata post altare abscondantur, vt ab aliquibus fieri audiuimus, sed ad totam Passionem, & Missam sinantur.

Caueat Sacerdos Eucharistiam administrans, ne manum osculandam communicantibus exhibeat. Si quis autem communicantium erit vltro osculaturus, osculum ipse non permittat. Quod cauendum est etiam, dum sanctorum Reliquiæ, vel aliquid aliud religiosè osculandum præbetur, ne scilicet fideles occasione huiusmodi prœosculentur Sacerdotis manum, neue rei sacræ osculo, manus osculum addant.

Sacculi siue bursæ, qua includenda est parua pyxis, cum

longè

longè ab Ecclesia deferre oportet ad ægrotos per montosa loca sanctissimum pro viatico Eucharistiæ Sacramentum, cuique Parocho nos hanc præscribimus formam: Vt scilicet sit bursa eadem ex serico benè contexto, intus, forisq; albi coloris; ea sit altitudine, ac longitudine, vt commodè capiat corporale cum sacra patina, & purificatorio; & à parte exteriori figuram habeat calicis, & hostiæ superpositæ, acus opere decenter elaboratam; ita, vt in ea parte, qua fuerit effi cta hostia, collocanda sit ipsa pyxis altero includenda minore rotundo sacculo benè adstructo, & aptè cohærente maiori ipsi sacculo, siue bursæ: Quæ inferius fundum habeat oportet non rotundum, vt hactenus factum est, sed quadratum, & benè, ac firmiter consutum; superius verò cordulas sericas ita oblongas, vt cum occasio tulerit, ad collum Sacerdotis valeat appendi: At ita demum pars ipsa superior accommodetur, vt rectè claudi possit.

De huiusmodi autem bursa, siue sacculo singuli Parochi prouideri curent: Aliàs in proxima visitatione pœnas dabũt.

Sacerdos ad sacrum faciendum accedens, dum transit ante altare, vbi asseruatur Eucharistiæ Sacramentum, si in clauso sit illud tabernaculo repositum, dextero genu flexo, capite tamen cooperto, reuerentiam exhibeat; si verò sit Sacramentum in altari extra tabernaculum, vel tunc temporis ministretur, non solùm flexo dextero genu reuerentiam exhibebit, sed capite etiam detecto sacramentum adorabit: Quod item faciat oportet ante altare, vbi celebratur Missa, in qua Sacramentum eleuatur; nec ante surgat, quàm celebrans depo-

fuerit calicem iuxta Missalis ritum. Ceteri Sacerdotes omnes, & Clerici quicunque transeuntes, vt dictum est, idem præstabunt, sed capite semper detecto; & vbi eleuatur, vel ministratur sacramentum, illud vtroque genu flexo adorent.

De Processionibus. Cap. XI.

ETsi sanctus est ille orandi modus, quem ab antiquo iam tempore seruat in processionibus Ecclesia varijs de causis; & his præsertim; vt cognoscamus, Deū non solùm in templis, quæ maximè locorum in terris omnium sunt Domus Dei, & Orationis, sed vbiq; esse adorandum, quippe qui cum vbique sit, nullis tamen locorum angustijs comprehenditur; ac ut recordemur nos tamquam peregrinos, ac viatores, Christi uestigia sequi debere; tamen humani generis hostis Diabolus, qui in omni re, quantumuis sacra, insidiatur, antiquam processionum formam, suis artibus abusus immittens, si non deprauanit, at certè minus fructuosam reddidit: Id quod præsertim in litaniarum, siue Rogationum processionibus accidit. In quibus, si longius illæ protrahantur extra oppida, alij ob itineris laborem tam pio muneri desunt; alij uero æquè procedunt, ac si eant, animi tantùm gratia, rusticatum; neque per preces, & meditationes cum Domino, ut par est, colloquuntur, sed inter se fabulantur, risus etiam aliquando, & cachinnos excitantes; Si uero intra

oppida

oppida contrahantur, hinc multa populi exauditur murmuratio, magnumq; euenit scandalum. Quare, ut malorum occasiones huiusmodi tollantur, atque exterminentur, mediam nos tenentes, & approbantes uiam, illas quidem processiones, quæ ad remotiora loca fiunt, prohibemus, sed ut Ecclesiarũ Rectores ex oppidis omnino egrediantur præcipimus, & aliquantulum progrediantur in circuitum, uel in rectam, prout situs dabit, longitudinem. Ita enim, & deuotioni satisfiet populorum, & processiones iĳ frequentiores obibunt.

Parochi uerò, qui tenentur ad matrices Ecclesias, quas Plebes uocant, conuenire statis quibusdam, siue Rogationum, siue aliĳs festiuitatum diebus, iuxta id, quod debent, ac iuxta consuetudinem, solitoq; seruato ordine, conueniant, sub pœna aureorum trium, applicandorum una matrici ipsi Ecclesiæ, reliquis uerò duobus arbitrio nostro: Decretis tamen Visitationis, ubi de huiusmodi res fuerint, in suo robore duraturis.

De funeribus, & sepulturis. Cap. XII.

CVm in officiĳs omnibus Clericos omnes pios esse deceat, tum in defunctorum funeribus, quæ erga proximos nostros sunt postremi muneris officia, Christianæ pietatis exemplum præstare Parochi debent, summaq; ope cauere ne auaritiã præseferant. Quorundam tamen auiditas eò temeritatis deuenit, ut certas, quas siue, non

vocant,

vocant, intortitia, vel minores etiam candelas, quæ in funera deferuntur, accendi ex defuncti domo prohibeant, id in Ecclesia tantùm permittentes, vt minus ea consumantur; haud fortè aduertentes pium hunc ritum, quo cerei accenduntur in funeribus, non ex superstitione adhiberi, sed ad significãdum animas defunctorum viuere, nosq; illis perpetuam lucem optare, corpora verò, vt extincta sint, esse tamen resurrectura. Quare nos Parochis omnibus præcipimus, vt crimine hoc in posterum abstineant; aliàs iustas dabunt pœnas.

Curant nonnulli, vt certus ad exequias clericorum secularium numerus inuitetur à benefactoribus, siue defuncti domesticis: aliàs exequijs interesse nolunt: Quod fit aliquando non sine murmuratione, & laicorum scandalo. Quare tam Secularium Clericorum, quàm Regularium numerus inuitantium libertati relinquatur.

Defunctorum cadauera non circunferantur, quasi Sanctorum corpora per vicos, & plateas, sed rectà ad Ecclesiam efferantur.

Audiuimus funera aliquibus in locis nostræ Diœcesis ita aliquando procedere, vt multæ præferantur Cruces, quæ se se vna immediatè post alteram subsequantur; Quod eò aduenientibus exteris admirationis occasionem præbet. Quare præcipimus, vt in efferendis ad Ecclesiam defunctis singulæ Confraternitates, singuli Religiosorũ ordines, & singuli animarum Curatores Cruces singulas sequantur suas. Quod si defunctorum hæredes, siue domestici præter Cruces Parochi, Religiosorumq; Ordinum, & Confraternitatum funus concomitantium,

ali-

aliquam aliam voluerint adhiberi, vnam tantùm siue Operæ Sanctissimi Sacramenti, siue Ecclesiæ, adiungi permittimus; quæ ceteris omnibus præmitti tamquam antesignana poterit; etiamsi illam Crux Parochi, aut Ordinis Religiosorum, aut Confraternitatis alicuius immediatè subsequatur. Vbi verò defunctus aliquis deferendus erit ex vna Paræcia in alteram, præmitti poterit Crux vtriusque Parochi, etiam vna immediatè ante alteram, vel Crux tantùm Parochi illius, ex cuius Paræcia erit defunctus; & Parochi ambo simul procedent, ita tamen, vt primum locum habeat Parochus defuncti, secundum verò Parochus alter, in cuius Ecclesia defunctus ipse sepeliendus erit.

Curent Parochi, vt quamprimum in Ecclesijs suis Parochialibus construatur sepulcrum, in quo paruulorum tantummodo sepeliantur corpuscula; baptizatorum scilicet, & infantium, & puerorum, qui ante vsum rationis obierint; vt præscriptum est in Rituali Romano nuper edito.

In funere autem paruulorum huiusmodi campanas non sono lugubri, sed festino potius, iuxta Ritualis eiusdem præscriptum pulsari mandamus.

De Doctrina Christiana. Cap. XIII.

IAm pluribus in locis nostræ Diœcesis Sanctum Doctrinę Christianæ institutum vel omnino in desuetudinem abijt, vel in sola orationis Dominicæ, Symboli Apostolorum, & Decalogi recitatione exercetur, nulla per Parochos adhibita declaratione. Quare omnino mandamus, vt intermissum Parochi munus suum recipiant; & ; quoad libellus Doctrinæ Christianæ ad nostræ Diœcesis vsum denuo imprimatur, alio vtantur, ex quo pueros pro singulorum captu doceant.

De campanarum pulsatione solemniorum dierum. Cap. XIIII.

VT solemniores dies à populo cunctio dignoscantur, campanæ Parochialium Ecclesiarum aliquo diebus ijs peculiari signo pulsentur. Solemniores autem dies, & præcipuos intelligimus in tota Diœcesi Pascha Resurrectionis Domini; Natiuitatem eiusdem; festum Pentecostes; festum Sanctissimi Corporis Christi; Assumptionem Beatæ Mariæ; festum Omnium Sanctorum; Natiuitatem Sancti Ioannis Baptistæ; & festum Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli. His adduntur Sancti titu-

lares Diœcesis, Episcopi præsertim Lunenses.

In ciuitate speciatim solemniores sunt Dominica Sanctissimæ Trinitatis; Dedicatio Ecclesiæ Cathedralis; festum Sancti Andreæ; eiusdemq; Ecclesiæ dedicatio; ac festum Exaltationis Sanctæ Crucis.

Ceterùm Ecclesiæ Diœcesis singulæ peculiares habeant solemniores dies Sanctorum respectiuè suorum Titularium; necnon Dedicationis, siue Consecrationis.

Non solùm autem particulare aliquod signum detur ijs diebus campanarum sonitu, sed etiam ad Maioris Missæ, ac Vesperarum signum pluribus pulsentur ictibus campanæ omnes tam Cathedralis Ecclesiæ quàm Sancti Andreæ, longiusq; ipsarum pulsatio protrahatur. Aliarum verò festiuitatum occasione nec omnes pulsandæ erunt campanæ, nec ita protrahenda pulsatio.

Sæculares absque Rectorum licentia non audeant festiuo more, nec in signum Diuinorum Officiorum campanas pulsare, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna.

De cauendis in conuiuijs, quæ fiunt à Parochis festiuitatum occasione. Cap. XV.

Conuiuia, quæ à Parochis nostræ Diœcesis nimis lautè Sacerdotibus, & Clericis ad Ecclesiæ suæ Patroni festiuitatem celebrandam vocatis parantur, & quandoque intemperanter fiunt, cum Parochos ipsos his detentos, à Diuinis officijs, in quæ religiosiùs eo tempore est incumbendum, abstrahere soleant, hac nos lege moderamur, vt præter iurulentum

vnius generis cibum, quem Itali vocant, la minestra, *obsonium, quod item dicunt Italicè,* l'antipasto, *carnem elixam, & aliquid assi, vnius tantùm generis, caseum, fructuum aliquid, ac testaceum pulmentum, quod tortæ nomine appellant, nihil aliud apponatur; Iis verò diebus, quibus non comeduntur carnes, sit idem temperantiæ modus; & pro carnibus eadem ratione pisces apponantur; nec laici vllo modo inuitentur cantoribus exceptis; sub pœna in illos, qui contrafecerint, arbitrio nostro.*

De Matrimonij Sacramento. Cap. XVI.

QVoniam, cum ad Ecclesiam sponsi matrimonium contracturi conueniunt, non profanam rem, sed sacram, diuinamq; aggrediuntur, ne permittant illis Parochi, vt secum ducant citharœdos, aut tibicines, aliosue aliorum instrumentorum lusores; sed admoneant quo animo affectos ipsos esse oportet, & quàm modestè, ac religiosè incedere.

Si qua puella refugiat ab audiendo sacro, vt refugiat scilicet à matrimonij, quod contractura est, publicationibus audiendis, ob pudorem, qui parum certè est in hoc laudabilis, Parochus illam corripiet; quippequæ tanto magis sacro interesse debet, quanto eget impensiùs Diuino auxilio; vt approbet, ac secundet matrimonium Deus, nuptiasq; fœlix comitetur euentus. Quod si

illa

illa non audiat, superſedeat Parochus, quoad illa reſipiſcat, publicationibus faciendis.

Abuſus inoleuit in hac noſtra Diœceſi, vt ſponſi ad matrimonium accedant Sacramentali confeſſione, & communione neglecta: Quare mandamus, vt Parochi curent ſponſos Parochianos ſuos paucis ante diebus, quam matrimonium contrahant, peccata ſacramentaliter confiteri, ſeq; ſacramento Euchariſtiæ munire. Illos verò ſponſos, tam mares, quàm fœminas, qui id præſtare neglexerint ad ipſius matrimonij celebrationem non admittant.

De Eccleſiarum prædijs. Cap. XVII.

QVi ex prædijs Eccleſiarum aliquid rapuerint, vel furati fuerint, aut illis damnum aliquod intulerint, poſſint præuio proceſſu, & citati excommunicari à Vicarijs noſtris foraneis, in quorum Vicaria prædia illa fuerint, ſi damnum ad peccati mortalis ſummam aſcenderit.

De Seminario. Cap. XVIII.

IN Seminarium poſthac recipiendi, tam in numerum duodecim, quos Seminariſtas appellamus, quàm in ſupernumerarios conuictores, idoneum prius fideiuſſorem noſtro foro, iuriſdictioniq; ſuppoſitum dabunt ob anticipatam ſolutionem pro quolibet ſemeſtri faciendam.

Qui

Qui verò ex Seminaristis promoti non fuerint ad Sacrum Subdiaconatus ordinem infra sex menses, postquam ad ætatem requisitam peruenerint, tantundem soluent, quantum ij, qui Supernumerarij sunt; siue Conuictores; & ob solutionem huiusmodi dent idoneum fideiussorem in ipso Seminarij ingressu.

De Vsuris. Cap. XIX.

P*Erlatum ad nos est nonnullos iniquitatis filios usurariam prauitatem exercentes Decretum Constitutionum nostrarum titulo de Vsuris, circa emptiones, quæ fieri solent cum pacto de retrouendendo malitiosè interpretari; vt inducant venditores ad conducendam rem fictè venditam; conuentionem pensionis facientes habita ratione non fructuum, qui ex re vendita percipiuntur, sed ipsius pretij; & ita in dena scuta, vt vocant, tritici singulas, quas appellant siculas, percipere; falsò asserentes id à nobis permitti. Quì fit; vt rudes æstimatores decipiant, pauperumq; exhauriant facultates. Nos igitur his perniciosis artibus occurrere volentes, iterum sancimus seruanda, quæ iam à nobis, & à Prædecessoribus nostris fuerunt sancita circa huiusmodi emptiones: Et insuper decernimus pretium locationis rei venditæ cum pacto de retrouendendo, quæ venditori per emptorem locatur, siue pensionem annuam, excedere non debere dimidiam partem fructuum deducta altera coloni dimidia secundum*

dum æstimationem per duos loci publicos æstimatores; de quorum iuramento constet in venditionis, & locationis instrumento. Contractus verò emptionis cum pacto de retrouendendo, & locatione subsequuta, in quibus seruata non fuerit hæc Cōstitutio, fœneraticios declaramus.
Aestimatores autem, qui fraudem in æstimando, tam fundum, quàm fructus, commiserint, vltra pœnam periurij, cui se reddent obnoxios, de suo tantundem ergà partē læsam teneri volumus, quantum fuerit ipsum damnum.
Notarios item, qui rogati instrumentum contra Constitutionis huius dispositionem confecerint, excommunicari posse decernimus, quotiescunque ad nos, vel ad Vicarios nostros foraneos fuerint delati.
Ac, vt omnibus Constitutio hæc nostra innotescat, volumus illam vulgaribus verbis versam per animarum Curatores quoscunque populo quamprimùm publicari; & ita fieri deinceps quotannis; prout Capite de publicandis Constitutionibus dicetur.

De Eleemosynis, quæ in Ecclesijs colliguntur. distribuendis. Cap. XX.

Solent aliquibus in oppidis animarum Curatores, siue illorum Capellani, eleemosynas, quæ colliguntur Quadragesimali tempore, tam pro certis, quàm pro incertis pauperibus, in accepti Codicem nullum referre, nullo modo notare, & illas per se ipsos, nemine adhibito, dispensare. Quì fit, vt nulla administrationis reddita ratione suspicio aliquan-

do, etiam inter viros timoratæ conſcientiæ oriatur, vel malè diſpenſatas eſſe eleemoſynas, vel illas ſibi animarum Curatores aſciuiſſe: Vnde redduntur multi tardiores ad eleemoſynas porrigendas. Quare, vt Curatorum ipſorum famæ, & pauperum utilitati conſulatur, ſtatuimus, ut in Eccleſijs, ubi plures ſunt Clerici, deputentur Clerici duo, non tamen Collegæ; quibus præſentibus numerentur eleemoſynæ; & in librum, qui huic ſoli ſit uſui, ſub certa die, & quantitate notata, referantur per Clericum alterum, apud quem remanebunt interim eleemoſynæ; liber autem ab altero conſeruetur Clerico; ac in eiuſdem libri parte altera deſcribantur nomina, & cognomina pauperum, quibus de Rectoris Eccleſiæ mandato eleemoſynæ ipſæ diſpenſabuntur, ſub certa notata die, menſe, & anno, & præciſa quantitate, quæ ſingulis diſtribuetur.

In Eccleſijs uerò, ubi ſolus eſt Rector, librum ſaltem is habeat, in quo notet ſingula iam dicta; ut eundem librum nobis, aut Viſitatoribus, uel alijs deputandis à nobis, poſſit opportunè requiſitus exhibere.

Aliàs in Curatores ipſos, ſiue Rectores, tanquam in præſumptos eleemoſynarum uſurpatores procedemus.

De ra-

De rationibus reddendis à piorum locorum Administratoribus. Cap. X X I.

CVm aliàs piorum locorum administrationis rationes coram Parocho reddendas decreuerimus, in Diœcesis tamen Visitatione nonnullos esse Parochos reperimus, qui vel tardi sunt ad munus suum exequendum, vel Administratoribus facilè se præbent indulgentes.

Quare Parochis districtè mandamus, vt curent rationes à piorum locorum, & Confraternitatum Administratoribus, siue Operarijs infra mensem à die Administrationis peractæ reddi.

Quod si Administratores ipsi, siue Operarij rationes reddere, vel recusauerint, vel neglexerint, omnino Parochi id nobis significent; vt contumacium culpam opportunis remedijs corripiamus.

Reddendis autem per Operarios Ecclesiarum rationibus assistant Parochi; qui, tamquam expensarum omnium conscij, Vicarium foraneum de rebus omnibus certiorem reddant: At reddendis rationibus per Confraternitatum, aut aliorum piorum locorum Administratores, eorundem Capellanum, si quem habent, eodem modo omnino uolumus interesse.

Qui fuerint negligentes pœnas dabunt arbitrio nostro.

De officio Medicorum erga ægrotos.

Cap. XXII.

Saluberrimam Pij V. Constitutionem de Medicorum officio erga ægrotos præstando in hac nostra Diœcesi non obseruatam ad vsum reuocantes, statuimus, ne vllus Medicus siue Ciuitatis Sarzanensis siue alius loci nostræ Diœcesis, post triduum ad ægroti visitationẽ audeat accedere, nisi intra illud tridui spatiũ sibi de ægroti præstita Sacramẽtali Cõfessione per attestationẽ manu Parochi scriptã constiterit. Si qui verò eidem Constitutioni non paruerint, sciant se in sententiam excõmunicationis, ac in alias pœnas, quæ in ipsa cõtinentur, incursuros. Ad quarũ declarationẽ volumus, vt à Vicarijs nostris foraneis, instituto prius processu, denuncientur; diligentiam in hoc Vicariorũ ipsorum exoptantes; alioquin nobis exactã ij dẽ rationem reddent.

De Constitutionibus publicandis in Ecclesijs.

Cap. XXIII.

NE vllus, cum aliquid contra has nostras Constitutiones peccauerit, ad crimen suum tegendum, culpamq; tuendam coloratum ignorantiæ velum prætexere valeat, præcipimus animarum Curatoribus omnibus, vt has nostras Constitutiones, vbi fuerint in lucem editæ, atque impressæ, populis respectiuè suis, cum in Ecclesiam ad Diuina conuenerint, publicent; ita vt publicatio totius voluminis cum omnibus, & singulis Capitibus, & Constitutionibus in eis contentis

intra sex menses absoluatur: Deinde verò non solũ tertiæ huius Synodi nostræ, sed primæ etiã, & Secundæ pręcipua Capita infrascripta per anni cuiuslibet circulũ legant, & publicẽ, vulgarẽ declarationẽ, sũmariã saltẽ, addentes.

De festorum dierum cultu ter saltem singulis annis, tam Caput primum tertiæ huius Synodi nostræ, quàm secundum Secundæ, ac tertium primæ.

De Patrimonio Clericorum semel: De litanijs maiorib. semel.

De Vsuris semel, tam quæ à nobis, quàm quæ à nostro Prædecessore sunt statuta. (toribus bis.

Item de rationibus reddendis à piorum locorum Administra-

De Medicorum erga infirmos officio bis.

De Ieiunio, quæ statuta sũt à Prædecessore nostro, Caputq. 13. primę, & quartum secundæ nostræ Synodi in Quadragesimæ principio.

De Cõfraternitatib. semel saltẽ à Parochis, & à Capellanis ipsarum Confraternitatum in earundem Oratorijs, tam quæ à Prędecessore statuta sunt, quàm Constitutionum primę Synodi nostrę cap. XXVI. & secundę XXV. & XXVI.

De pijs legatis Cap. 32. secundæ nostræ Synodi, quod omnino seruari mandamus, bis quolibet anno, accedente monitione, & post elapsum terminum præfixum fulminatione contra inobedientes.

De prohibendis colloquijs in Ecclesijs ea, quæ à nobis, & à Prædecessorib. nostris statuta sunt, bis, ac sæpius, si visum fuerit opportunum.

Ceterum, quod attinet ad publicationem Bullæ Cœnæ Domini, & aliarum Constitutionum summorum Pontificum, seruetur, prout statutum fuit à Prædecessore nostro.

FINIS.

IN Nomine Domini, Amen. Anno à Natiuitate eiusdem millesimo sexcentesimo, decimo sexto Indictione decimaquarta, die verò XVII. Septemb. Pontificatus Sanctiss. D. N. Pauli Diuina Prouidentia Papæ V. anno 12. Suprascriptæ Synodales Constitutiones lectæ, & publicatæ fuerunt in Diœcesana Synodo Cleri Lunen. Sarzanen: Diœcesis in legitimo, & sufficientissimo numero existentis, coram Illustriss. & Reuerendiss. D. Ioanne Baptista Saluago, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopo Lunen. Sarzanen: & Comite legitimè congregati in Ecclesia Parochiali Sanctæ Mariæ Terræ Spediæ dictæ Diœcesis; atque à toto, & vniuerso dicto Clero vnanimiter, sponte, liberè, & nemine penitus discrepante, per verbum PLACET, & ILLAS OBSERVARE PROMITTIMVS, quater prolatum approbatæ, & acceptatæ, prævio super illis scrutinio per dies duos in duabus Congregationibus de more factis in eadem Parochiali Ecclesia in præsentia magnæ multitudinis populi dictæ Terræ, & infrascriptorum testium ad hæc specialiter vocatorum, & rogatorum. Et de prædictis omnibus rogauerunt me notarium publicum, & Curiæ Episcopalis Sarzanæ Cancellarium, & Synodi iam dictæ Secretarium infrascriptum, vt ad æternam rei memoriam publicum conficiam instrumentum. Actum in eadem supradicta Ecclesia Parochiali Sanctæ Mariæ Spediæ, præsentibus ibidem Magnifico D. Iulio Marchesio I. V. Doctore, D. Bernardo Scantrino notario, D. Oppicino de Oppicinis, D. Bartholomæo Testa, D. Io: Antonio Podenzana, D. Balthasare Castagnola, & D. Antonio Marchesio omnibus de Spedia prædicta ad omnia supradicta vocatis, habitis, & rogatis.

Ego Leonardus Morrntius ciuis Sarzanæ publicus auctoritate Serenissimi Senatus Serenissimæ Reipublicæ Genuæ Notarius, in Collegio Notariorũ Sarzanæ descriptus, & Curiæ Episcopalis præfati Illustrißmi, & Reuerendiss. Domini Episcopi Cancellarius, ac præfatæ Synodi Secretarius deputatus præmissis interfui; & in fidem me subscripsi rogatus.

Promotor Synodi fuit.

Multum R. D. Annibal Cęus Ecclesię Cathedralis Sarzanæ Præpositus.

LECTOR,

Multum. R. Rector, & Vicarius foraneus Erycis Vincentius Morouellus.

Acclamationes.

Lect. Omnipotenti Deo, honor, & gloria.

Cler. Sempiternus honor sempiterna gloria.

Lect. Beatißimo Paulo Papę, & Domino Nostro salus, & diuina protectio.

Cler. Protegat illum Dominus, & cum commisso grege in viam dirigat salutis æternæ.

Lect. Serenißimæ Genuensium Reipublicæ pax, & Diuina prosperitas.

Cler. Serenißimam Rempublicam Deus dextera suæ potentiæ tueatur, & gloriosam reddat.

Lect. Sarzanensi, ac Spediensi fidelibus populis ros benedictionis de cælo.

Cler. De cælo Dominus rore suæ benedictionis eos perfundat, verisque bonis augeri faciat.

Lect.

Lect. Congregationis huius RR. Patribus, & Clericis omnibus ad regiones suas prosperum iter, fœlix reditus, & demum in cælesti patria sempiterna quies.

Cler. Amen. Amen.

Lect. Anathema cunctis hæreticis.

Cler. Anathema, Anathema, Anathema.

Examinatores Synodales deputati fuerunt, & acceptati.

Multum R R. D. D.

Annibal Cæus Ecclesiæ Cathedralis Præpositus.

Iacobus Parentucellius.
Hippolytus Landinellius.
Ioannes Mascardus.
} Ecclesiæ Cathedralis Canonici;

R R. P P.

Vicarius Conuentus Sancti Dominici.
Guardianus Conuentus Sācti Francisci.
Corrector Conuentus Sancti Andreæ.
} Regulares Ciuitatis Sarz.

& Multum R R. D D.

Christophorus de Mercatoribus.

Marcus Antonius Cataneus.

Io: Frācifcus Abbas Molarius, Vicarius foraneus Fiuizani.

Andreas Tacchius Plebanus Massæ.

Lactantius Fimellius Plebanus Mirteti.

Petrus Nutus Plebanus Montis Ignosi.

Dominicus de Federicijs Rector Spediæ, & Vicarius foraneus

Hieronymus Dodus Rector Sancti Iacobi de Pontremulo, & Vicarius foraneus.

Vincentius Morouellus Erycis Rector, & Vicarius foraneus.

Geminianus Bonauentura de Pontremulo, &

Damianus Baldonus Rector Fabiani.

Indices

Iudices Synodales designati, & acceptati fuerunt

Multum R R. D D.

Annibal Ceus Præpositus.	
Iacobus Parentucellius Canonicus.	*Ecclesiæ Cathed.*
Hippolytus Landinellius Canonicus.	*Sarzanæ;*
Ioannes Mascardus Canonicus.	

& Multum R R. D D.

Ambrosius Magnanius Rector Finizani.

Laurentius Finellius Plebanus Mirteti.

Andreas Tacchius Plebanus Massæ.

Petrus Nutius Plebanus Montis Ignosi.

Dominicus de Federicijs Rector Spediæ.

Geminianus Bonauentura de Pontremulo.

Lucas Pellerius Rector Victorij de Capharonia.

Damianus Baldonus Rector Fabiani, &

M. R. D. Christophorus de Mercatoribus.

LAVS DEO.

IN-

INDEX CAPIT. TERTIÆ SYNODI.

FINIS.

FINE